Skalski Joannes Antonius

Odymalski Stanislai Annuntiatio triumphans ad regale sacerdotium ascensus.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 1216

ANNUNTIATIO TRIUMPHALIS

AD REGALE SACERDOTIUM ASCENSUS,

ILLUSTRIS & ADMODUM REVERENDI DOMINI,

D. IOANNIS ANTONII

SKALSKI,

Ecclesiæ Archipresbyteralis

B. MARIÆ VIRGINIS,

in Circulo Cracoviensi, Pœnitentiarij,

VIRTUTIBUS & SAPIENTIA CONSPICUI.

Dum,

In Ecclesia Parochiali Vieliciensi, Sancti

CLEMENTIS, PAPÆ & MARTYRIS,

ipso Annuntiationis B. M. V.

Festo, Primitias DEO, in Agno Immaculato,

OFFERRET.

In debitæ Observantiæ & applausûs gratulatorii argumentum,

Præsente frequentissimâ Illustrium Hospitum Coronâ.

A

M. STANISLAO ODYMALSKI,

In Alma Universitate Cracoviensi, Philosophiæ

Doctore & Professore, interea Scholæ Vieliciensis

SENIORE,

Stylo Elogiastico,

INSTITUTA.

Anno Domini 1700.

21.646 III

ANNUNTIATIO.

Triumphalis ad Regale Sacerdotium, aſcenſûs.

Orbis Victores,
quos, triumphalibus, priſca vetuſtas,
vexit in curribus, cedite.
Xerxes Themiſtoclem, Darium Alexander,
Gallos Cæſar, Bellerophon Chimæram, Hercules
Hydram, Theſeus Minotaurum, Ariſteus
Proteum, Cadmus Draconem, ſuperaverint
licèt.
Tanti tamen triumphi fama vocalis,
Perijt cum ſonitu.
Seculi contemptores, Muſa vetat mori.
Horum laudes & elogia,
Terrena & cæleſtia
nuntiant.
Intuentur iſti quidem illa omnia,
quæ in ictu oculi, tranſeunt,
& velut vmbra fugiunt.
Pars tamen eorum ætherea,
Supra omne punctum
In æternitatis menſura,
Abyſſum habet, non momentum.
Iuvat illos,
Triumphalis aſcenſus,

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

Sed

Sed qui arduo Virtutis clivo,
Deum habet pro meta.
Pulchra portio gloriæ,
eorum pertentat pectora;
Ad quam,
Per conſummatæ eruditionis tramitem, itur.
Eiuſmodi ad ſacerdotii Regalis apicem
Triumphalem Tuum
Nullus non videt aſcenſum,
ILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE,
IOANNES ANTONI
SKALSKI,
Eccleſiæ Archipresbyteralis
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,
in circulo Cracovienſi
Pœnitentiarie Digniſsime.
TIBI certè,
quantumvis indulgentia fortunæ multa conceſsiſſet bona,
Tu nihilominus æſtimâſti blanda
hæc irritamenta malorum;
Minora eſſe, Regis Regum obſequiô.
Nulla Tibi unquam veniebat hora,
quæ Te in meditatione immortalium non inveniſſet.
Nimirum,
Sic Te ſapere, ſic meditari,
pietas in Deum docuit; quæ Tibi à teneris, dilecta,
animum Tuum bene compoſitum,
Ab onere tanto, Angelicis etiam humeris formidando;
non deterruit,
ſed pellexit.

Hanc Tibi
inſtillavit Virtutis & Sapientiæ Mater,
Alma noſtra Vniverſitas Cracovienſis,
à cuius Doctiſsimorum ſpiritu Profeſſorum,
Seria Tibi in Studiis & Vigilans vbiq; anima,
ſeu
potiùs animatum probitatis exemplar fuerat.
Hinc non deceſsit quidquam encomio Tuo,
quod vel ab ipſa Lucina,
Vrbis Coronatricis,
(*Vbi grandes animæ Regum, feſſiq; quieſcunt imperio manes*)
lucem gloriæ nanciſcitur.
Hoc quòq; grande laudis Tuæ auctoramentum eſt,
Quod
A
Magnifico olim ac Generoſo Domino,
L A V R E N T I O
à Granow
WODZICKI.
Pocillatore Varſavienſi, Salisfodinarum Vielicienſium & Bochnenſium Generali Adminiſtratore,
ad publica munia Vocatus,
illis dextrè ac laudabiliter tot annorum ſpatio peractis,
altiùs in culmen honoris
Eccleſiaſtici, mirabili ordinatione Divinâ
proueharis.
Deſponſauit Te Sibi Dominus,
nunc arctiori Sacramento,
& pro mortali ſponſa,
Myſticam Tibi & immortalem Deiopeiam,
Eccleſiam copulavit.
Pro

Probatam Virtutem Tuam, provexerunt firma Ecclesiæ Dei Columina.

ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS DOMINVS,

D. GASPAR CIENSKI,

Decanus Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis,
SEDE VACANTE EPISCOPATVS CRACOVIENSIS,
& Ducatus Severiensis Generalis Administrator &c:
quem innocentia vitæ, & gesta auro cedroq; notanda,
ac immortalitate digna superis æquant.

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMVS DOMINVS
De Minsko

D. VLADISLAVS OPACKI,

Sacræ Theologiæ, & Iuris Vtriusq; Doctor,
Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Archidiaconus,
Præpositus Koscielecensis, S. R. M. Secretarius &c.
qui,
*Solis Aquinatici corrusco lumine ac Diuæ Themidos
Oraculis, Orbem Collustrat Lecheum.*

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMVS DOMINVS,

PETRVS STANISLAVS ORLOWSKI,

Protonotarius Apostolicus, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Canonicus, Præpositus Infulatus, & Officialis
perpetuus Tarnoviensis &c:
qui,
ceu in concussa petra firmat Ecclesiam DEI,
Virtutum & Scientiarum Idæa.
Sed quid ego generali Virtutum Tuarum
apotheosim texere contendo?
Eminet in Te speciali modo *pandens domum
Omnipotentis Olympi*
Singularis liberalitas;
qui *manus habens tornatiles aureas
plenas bonorum operum hyacinthis,*
grandinem auream in egenos depluens,
Vir ab aureo æuo designaris.
Loquitur tuam in se munificentiam,

Sacra hæc Basilica;
ad Cuius aram,
incruentum istud æterno Numini Sacrificium,
vice prima immolas.
Delicatissima Tibi illius amoris portio,
cuius splendorem & decorem
supra omnia gemmarum pondera æstimas,
Supellectili Sacra
eandem adornando.
Pulcherrima dos affabilitas,
verecundus cum modestia rubor;
animi temperies,
faciunt Te
I O A N N E M
Cuiq; gratiosum.
Plaudit hodie Sacro honori Tuo;
non tantùm Nobilissima hæc Illustrium hospitum Corona;
verùm etiam choris Angelorum stipata,
Virgo Sanctissima & Mater intacta,
Cui,
dum Archangelus Gabriel, lætum occinit Ave,
illa Tibi DEVM Majestatis,
puris tractanti manibus,
fluenta gratiarum immittendo,
triumphalia Cæli nunciat.
Ego quoq;
Nuncius Tuæ amplitudinis tantæ
Mæonides Tuus,
animum meum Tibi in vota solvo.
Prodeat hæc in Te,
& altius assurgat
habeatq; superos faventes,

quos

quos eximia pietate Tua, & cultu maximo,
Tibi propitios reddis.
Quamobrem vive Ecclesiæ DEI,
Cûi hodierno Sole
Casto iungeris fœdere.
Vive diu amicis,
ac Nobilissimis Hospitibus,
qui Tua Primitiarum Solennia
exornant, quos inter, venerari licet,
Perillustrem, Clarissimum & Admodum Reverendum Dominum
M. ADAM STIRKOWSKI,
Iuris vtriusq; Doctorem & Professorem,
Protonotarium Apostolicum,
Ecclesiæ Collegiatæ Cracoviensis Sanctorum Omnium
Cancellarium, Primicerium Tarnoviensem,
Præpositum Sancti Iacobi Casimiriæ
ad Cracoviam,
quem velut ex Tripode
oracula loquentem,
tot negotiorum molimina
actui præsenti non subtraxerunt.
Vive Patriæ,
quæ tanti honoris Tui accessione
recreata,
in mille gaudiorum Solatia
prorumpit.

Ergo

Vivas Nestoreos, opto Vir maxime Soles,
Et superes Priami secula mille senis,
Altius in Culmen, uirtus Te tollat honoris,
Atq; tuis meritis, gloria pandat iter.

PLAVSVS
Læticiæ Publicæ,
ad Solennia Primitiarum,

ILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDI DOMINI

IOANNIS ANTONII SKALSKI,

Pænitentiarij in Circulo B. M. V. Crac:

Parentis ac Benefactoris Colendissimi,

ab *ALBERTO SKALSKI Studioso Scholæ Vieliciensis Filialis observantiæ.*

Ergo

EXPRESSVS.

Plaudite Pierides cantus, dulcesq; movete,
Cum Genitor carus culmina celsa petit,
Dignus honor superis, molimina magna requirit
Quem meritis partum, Tu Benefactor adis
Permistum splendore decus, cæloq; sacratum
Contulit æternus nunc Tibi quippe DEVS,
Inconcussa Tuum Virtutis Regia pectus
Occupat, & sapiens regnat in ore, lepos.
Ergo Tibi superi faciles per ora favores
Concedant, Vivas Pylia secla, precor.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.

I. xxII. 5.

MINI
I
I,
ac:
iensis

Biblioteka Jagiellońska
stdr0023622